

Ms

dominica

in octava

pasche tit

14 III

Nh
1236



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Del. 7.

T. C.
II. C.
III. C.
IV. C.
V. C.
VI. C.
VII. C.
VIII. C.
IX. C.
X. C.
XI. C.
XII. C.
XIII. C.
XIV. C.
XV. C.
XVI. C.
XVII. C.
XVIII. C.
XIX. C.
XX. C.





DISPUTATIO
DE
INOFFICIOSIS
TESTAMENTIS.

Quam

D. O. M. A.

Auctoritate & consensu Magnifici, &
Nobilis. Jctorum in inelyta Salana
Ordinis.

SUB PRÆSIDIO

Consultissimi & Doctissimi Viri,

Dn. DOMINICI ARUMÆI,

J. U. D.

PUBLICÆ

Exercitiij gratia pro virili defendet,

JOANNES BOBBIUS

Cothönus Anhaltinus.

In Auditorio Jctorum 3. Martij.

J E N Æ

Ex Officina Tobia Steinmanni.

Anno M. DC. IV.



*Magnificis, Nobilissimis, eruditione, consilio,
ac multiplici rerum politicarum usu, & experi-
entia excellentissimis viris:*

Dn. BARTHOLOMAEO Gerichen/ I. V. D.
NOBILISS. Dn. ERNESTO von Rösschaw/
Consiliariis Anhaltinis consultissimis;

Nec non

*Reverendâ dignitate, verâ pietate, præstanti eruditione,
auctoritateq; præstantissimis viris,*

Dn. M. WOLFGANGO AMLINGO, EC-
clesiæ Servestanæ Superattendenti & Antistiti
summo;

Dn. M. IOANNI BRENDELIO, ECCESIAE
Dessaviensis Superattendenti, Aulaeque
Principis Pastori fidelissimo;

*Mecænatibus, Patronis, & Fautoribus suis
eis ædior colendis & honorandis.*

Abscedat, fugiat, pereat; virtute remotâ,
Nummatas quisquis radere gaudet opes.
Horrendis monstris auri sit sarcina; fontes
Anonios aperit casta Minerva procis.
Luxuriant, valeant; argenti tangat & illos
Dira sitis: Musis laurea terra placent.
Ingenuis junctum Musis, vos Ascanis oræ
Numina, victrici sæpè juvate manu,
Vultu Castalidum placido nunc sumite manus;
Sortis qui memores estis in omne meæ.

Humilimè offert

Ioannes Bobbius, Auct.
& Respond.



QUÆSTIONES DE
INOFFICIOSO
Testamento.

I.

Nobilissimarum disputationum juridicarum minimam non esse, quæ est de querela inofficiosi testamenti: quam neque jure civili (a) neque prætorio (b) sed moribus (c) introductam esse, statuimus.

(a) per l. 8. in prin. de bon. poss. contr. tab. l. 6. ff. eod. l. 2. ff. hoc tit. (b) quia prætor hereditatem nec dare potest, nec adimere. §. quos autem. Instit. de bon. poss. At heredi per querelam hereditas adimitur. l. in substitutione. ff. de vulg. & pupill. subst. (c) l. 5. in prin. ff. de inoffic. testam. l. 24. ff. eod. Donell. 19. com. 4 p. 272. D. Dominicus Arumæus, præceptor meus observandus, disp. II. 5. quæst. 19. Duar. ad tit. de inoffic. testam. c. 3. statim in prin. Dissent. Cuiac. lib. 2. obs. c. 21. & 3. obs. 3. & 14. obs. 14. VVes. in wæ. n. 3. ff. eod. Trentl. disp. 13. th. 1. p. 1. Diss. aliter Vigl. in §. 2. Instit. de inoffic. testam. & ibid. Vult.

II.

Hoc querelæ inofficiosi remedium an etiamnum hodiè in parentibus & transversalibus locum habeat? litigant Dd. (a) Nos legibus & rationibus adjuti affirmamus. (b)

(a) VVes. in wæ. n. 7. de inoffic. testam. Schn. eod. nu. 14. (b) Olim locum habuit in parentibus. prin. Instit. & §. 1. l. 1. 5. 6 l. 30. l. 14 & 15. hoc tit. Et huc maxime facit Nov. 115. c. 3. in qua nullum verbum de sublacione inofficiosi querelæ; nullum verbum, quod vereres leges de ijs loquentes, sint sublata invenitur: Iuste ergò relinquitur sub dispositione juris antiqui, l. sancimus. C. de testam. & Imp. in d. Nov. c. 3 in fin. c. 4. in prin.

prin. ait; testamentum, in quo à se constituta servata non sunt, esse evacuandum, evertendum, & rescindendum; quod autem evacuetur, & rescinditur, necesse est aliquando substituisse. l. 5 ff. de injust. rupt. irrit. Et ita sentit Duar. ad tit. de inoffic. c. 3. ferè in fin. Donell. in auth. ex causa. C. de liber. præter. Petr. Gregor. Tholos. lib. 44. Syntag. c. 2. n. 24. & seqq. c. 4. n. 18. & c. 5. n. 50. Treutl. disp. 13. th. 1. lit F. p. 1.

III.

Militare testamentum an jure novissimo subjaceat querelæ inofficiosi? sæpenumero in acerrimam venit disputationem: Nos negamus.

De jure veteri nullum est dubium. l. ult. C. de inoffic. testam. l. si instituta. §. de inofficioso. ff. de inoffic. testam. Sed op. Nov. 115. c. 3. cui ut generali, testamenta militaria simul includuntur. Iul. Clar. in §. testamentum. quæst. 4. Covar. in c. quia nos de testam. R. Fachinæ. 6. contr. 74. Quid si de militum testamentis Nov. esset intelligenda, Imp. id expressisset; sed in d. Nov. nullum verbum est de militari testamento, taceo, quod veteres leges sint sublata: Cur ergò stare prohibeantur? l. sancimus. 27. C. de testam. Nov. 20. c. fin. Petr. Gregor. Tholos. lib. 44. Syntag. jur. c. 4. n. 9. ibi: militis testamentum non patitur hanc querelam, si militari jure conditum est, per l. 27. §. de inofficioso. 2. ff. de inoffic. test. Aliter in veterano, inquit, qui desit militare, vel post annum à tempore militiæ mortuus est, per l. Papinianus. §. Papinianus. ff. de inoffic. testam.

IV.

Cum autem testamentum contra officium Pietatis fieri dicatur, in quo testator eam personam, cui legitima portio debetur, exheredat & præterit; exurgit quæstio: An filiosam, in testamento patris inofficiosi querela detur? Neg. Cujac. (a) VVel. (b): Affirm. Duar. (c) Donell. (d). Hos, salvo aliorum judicio, sequimur (e).

(a) ad l. 4. ff. de liber. & posth. & ad l. filio. 17. de injust. rupt. (b) ad §. sed hæc quidem. Instit. de exher. liber. n. 9. in æq. n. 3. de inoffic. testam. (c) c. 3. circa fin. ff. de injust. rupt. (d) ad auth. ex causa. C. de liber. præter. n. 7 Idem 6. commentar. 13. in fin. & 6. comm. 16. fol. 41. Hack. Nov. 115. c. 3. concepta duntaxat est de exheredatione patris, & præteritione
materna,

materna, aut maternorum parentum; Et testamentum nullum non potest rescindi, in prin. Instit. de inoffic. l. hoc colore 2. ff. hic. arg. §. 4. Instit. de cap. minut. l. 17. ff. hic. Vigl. ad prin. Inst. de exher. liber. nu. 3. (e) quia posthumo exheredato inofficiosi querela datur, ut patet ex th. nostra 8. & luculenter hoc constat ex verbis d. Nov. 115. in §. sin autem hæc observata non fuerint; ibi: sed quantum ad hoc non rescissum testamentum &c. & rursus ibi: & rescisso testamento &c. quibus verbis indicatur, Testamentum posse rescindi, Fachinæ. 4. contr. 9. Petr. Greg. Tholos. syntag. jur. lib. 43. c. 1. n. 19. & lib. 44. c. 4. n. ult.

V.

Perplexæ & intricatæ quæstionis est: Num parentes ob similes, vel graviores causas, in Nov. 115. c. 3. non expressas, liberos possint exheredare? Affirm. placet Hack. (a) Petr. Greg. Tholos. (b) Niel. (c): Nobis, bonâ eximiorum horum Ictorum veniâ, Neg. (d) magis ar-

ridet.
(a) q. ill. 6. th. 10. lit. D. per arg. l. non possunt. 12. ff. de ll. arg. c. unic. §. prædictis modis. vers. sed quia natura. 2. Feudor. 24. Absurdum enim, inquit, esset, majores ingratitude causas eodem jure non censerit, quo leviores ab Imp. expressæ; Qui illas ab his neutiquam excludit. (b) lib. 44. syntag. jur. univer. c. 3. n. 9. (c) disp. feudal. 5. th. 6. lit. B. (d) quia odia restringenda, c. odia. de R. I. in 6. Et quid opus fuisset speciali causarum enumeratione in d. Nov. 115. c. 3. si licita hîc esset extensio? Et frustra diceret Imp. altercationem sublatam, si alias causas ingratitude liceret excogitare: & ibid. Imp. addit; graviores causas à veteribus Ictis prætermittas, quas tamen omnes ipse perfectè comprehendit. Vigl. ad §. ult. Instit. de exher. liber. Bronch. 3. évært. 26. Et Ves. wæg. n. 5. de liber. & posth. her. inst. Quamvis Justinianus taxativè loquatur in auth. ut. cum de app. tamen communius placet, ex similib. aut majorib. causis exheredationem fieri posse: Fach. 6. contr. 78 rectè. Treutl. disp. 13. th. 8. p. 1. Vult. Instit. hic.

VI.

Quæstio hîc non inelegans moverur: An liberi sine parentum consensu nuptias ineuntes, exheredari possint?

A 3

possint?

possint? Neg. communiter Dd. (a): Nobis, ne videamur
mancipia alienæ libidinis, Affirm. (b) placet.

(a) quia Imp. Iustinianus illam inter. 14 causas, in Nov.
115. c. 1. enumeratas, non refert. Cuiac. lib. 3. obs. c. 5. Borch.
ad verba prin. h. tit. Schneid. p. 2. 22. Fachinæ. 3. contr. 44.
Hortom. in ill. qu. 9 in fin. ubi dicunt, hanc causam in d. Nov.
1. 25. esse prætermittam concludunt, quod liberi ob id solum, quod
in iussu patris nuptias contraxerint, exheredare minime possint, nisi
se ad turpem personam, nuptijs contractis, applicarint. Idem &
Saxones sequi dicit V. Vesemb. in wag. n. 5. de liber. & posth. hær.
instit. Treutl. disp. 6. th. 5. lit. C. p. 2 (b) per Nov. 115. c. 3.
si alicui. vers. si verò usq. ibi requiritur, ut 25. annum nondum
compleverit. Post eam enim ætatem nuptijs invidus pater præsu-
mitur, si conditionem querere eis honestam detrectaverit. l. 19. ff.
de rit. nupt. Et probatur nostra sententia ex sine exheredationis,
quæ eò inducta, quò injuria privata, parentib. illata per liberos,
vindictetur. Sed liberi & imprimis filius, seipsum quodammodo
subtrahendo patri, & ei invito suum hæredem obtrudendo, gra-
vius lædit patrem, quàm si ei inobediens existit. Opp. d. Nov. c.
3. quæ tantum de filia loquitur: R. hoc multò magis de filio di-
cendum est propter agnationem sui hæredis. l. 6. de adopt. quæ in
filia non veretur. §. fin. Instit. de pat. potest.

VII.

Sæpenumero in disputationem venit: Num suffi-
ciens exheredandi causa; quia filius voluit, vel quia pro-
pria manu se exheredem scripsit? Affirm. Petr. Greg.
Tholos. (a) Nos rem pressius intuentes, non immeritò
negamus. (b)

(a) lib. 44. syntag. jur. univer. c. 3. n. 12. ibi: quia non
alia exigitur causæ expressio; & volenti non fit injuria. (b) quia
in his, quæ respiciunt juris solennitatem, non attenditur consensus
filij l. nemo potest 55. ff. de leg. 1. Et filius non potest renunciare
paternæ hæreditati. l. fin. C. de pact. l. qui superfluis. 94. ff. de ac-
quir. hered. Vasq. 3. contr. 106. n. 22. & Nov. 115. c. 3. in
pr. vult, ut filius probeatur ingratus. Op. l. non potuit. 8. §. si
quis manu. 6. ff. de bon. poss. cont. tab. ubi filius sui ipsius ex-
heredationem scribenti, illam sibi nocere ait Ictus, R. Vasq. 3. contr.
106. num. 22.

VIII.

Posthumus an jure novo exheredari possit: Discre-
pant

pant Dd. (a): Exercitii gratia num affirmativa (b) de-
fendi possit, laborabimus.

(a) Nov. 115. c. 3. l. omnimodo C. de inoffic. testam.
ubi duo conjunctim exiguntur: 1. ut causa ingratitude probe-
tur. 2. ut ea nominatim testamento inseratur, l. si quis suo. 33.
§. C. de inoffic. testam Cujac, ad l. 4 de liber. & posth. Vult,
l. hic. n. 16. Fach. 6. contr. 76. Hack qu. ill. disp. 6. th. 4 Go-
thofr, in not. ad l. 14 ff. de liber. & posth. Petr Gregor. Tholos.
lib. 44 syntag. c. 3. n. 5. ibi: indignum visum est, ut qui natus
adhuc non est, qui vè nullo modo male meritis videri potest, de suc-
cessione, ei beneficio naturæ, & legis delata, detrudantur sine causa
& ibid. c. 3. num. 16. posthumos olim licuit exheredare; hodie
non licet. (b) quia posthumus olim exheredari potuit. l.
posthumus. 14. in pr. de liber. & posth. §. posthumi. l. de ex-
her. liber. l. 4 in fin. C. de liber. præter. Quod cum hodie non
reperitur correctum, cur stare prohibeatur. arg. l. præcipimus. C.
de appellat. D. Dominicus Arumæus, præceptor meus observandus,
disp. Πar. 5. th. 20. & disp. 10. Instit. th. 6. Alciat. 4. para-
dox. 10. & olim non sine justa causa liberos exheredare licuisse,
per l. cum ratio 7. ff. de bon. dam. posthumum tamen nihilominus
legitimè exheredatum. IX.

Cum autem testamentum agnatione posthumi
rumpatur, quærunt Dd. an ita ruptum virtute clausulæ
codicillaris sustineatur? Negam. Gail. (a) Fachinæ. (b) à
quorum sententia non recedimus (c).

(a) 2. obs. 114. lib. 2. (b) 4. contr. 12. (c) id quod maximè
procedit, si testator ignoravit uxorem suam fuisse prægnantem
secundum Bart. in l. filio præterito. n. 2. ff. de injust. irrit. Gail.
d. obs. 114. n. 8. quia inter vivos potentior & firmitior, quàm fidei-
commissum revocatur natiuitate & supervenientia liberorum. l. si
unquam 8. C. de rev. donat. 2. quia clausula nil operatur, ubi est
defectus voluntatis. Bart. in l. de jur. Codicill. At testator, qui
dicit, si non valet jure testamenti, valeat jure codicillorum, id in-
tellectum vult de ijs, de quibus tempore testamenti cogitavit; non
de ignotis: Clausula codicillaris tendit ad conservationem volun-
tatis testatoris. Sed non entis nullæ sunt qualitates. 3. quia hodie
clausula codicillaris magis ex consuetudine & imperitia à Notarijs
apponitur, cujus efficaciam sæpe neq. ipsi Notarij intelligunt. Bart.
d. l. 1. n. 10. Ignorans ergò non præsumitur velle. l. Labeo. §. idem
ff. de supell. legat. Hinc

X.

Hinc prius testamentum posteriore jure perfecto (a) rumpitur; licet primum habeat clausulam potestatis, quæ in secundo non revocatur (b): Quod & verum dicimus de testamento, habente clausulam solennitatis, cujus in secundo non fit revocatio (c).

(a) per §. posteriore I. quib. mo. test. in fir. l. si quis priore. 29. ff. ad SCrum Trebell. l. cum in secundo. ff. de injust. rupt. l. sancimus. C. de testam. Posterior sententia emendat priorem. l. quod traditum. 87. ff. de condit. & demonstr. Et testamenta usq; ad extremum vitæ spiritam minui, corrigi, mutari, & revocari possunt. c. ultima voluntas. 13. q. 2. l. omnium. C. de testam. l. si quis. C. qui testam. fac. poss. (b) ut testator inserens priori testamento hanc clausulam derogatoriam: hoc meum testamentum ita valeat, ne in posterum testari possim; quam licet in secundo testamento non revocari; tamen primum tollit. l. sancimus. C. de test. Nemo enim sibi auferre potest liberam testandi facultatem, quæ jure pub. cuiq; tributa. l. 3. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. C. de SS. EE. Et quæ contra leges fiunt, pro infectis habentur. l. jubemus. 14. §. 1. in fin. C. de SS. EE. At clausula illa est contra jus; & adimit liberam testandi facultatem. l. Divi. 6. §. licet. ff. de jur. codicill. quia suprema voluntas est ambulatoria usq; ad mortem l. 4. de adimen. leg. Althus. lib. 1. I. R. c. 21. (c) veluti testator inseruit priori testamento hanc clausulam: secundum testamentum non aliter valeat, nisi adhibiti sint 10. testes, tres Notari &c. Solennitatibus his neglectis, in secundo testamento tantum adhibuit 7. testes; & ita hoc prius evertitur: quia secundum testamentum jure factum, cum habeat 7. testes, atq; ita jure publico, quod privatorum dispositionibus immutari nequit, l. nemo potest, de legat. 1. l. testandi C. de testam.

XI.

Rupta & irrita facta testamenta nativitate posthumi, an interdum convalescant, litigatur? Nos distinguendo hanc litem componimus.

L. 12. ff. de injust. rupt. test. l. 4. ff. de adimend. legat. Sed adversari videtur. l. 2. C. de posth. hæred. instit. R. posthum. aut vivo testatore, aut eo mortuo discessit; illo casu testamentum valet;

valet; quia tunc eiusdem voluntatis usque ad extremum vitae spiritum testator praesumitur permansisse: hoc non aequè; quia quo maximè vigere debuit, superstes fuit posthumus. Cuiac ad l. 7 ff. de liber. & posth. Quà distinctione etiam hanc questionem decidit Petr. Gregor. Tholos. lib. 44. syntag. jur. univer. c. 2. n. 15.

XII.

Rescissa institutione sive ex causa exheredationis, sive praeteritionis, legata & fideicommissa an hodiè debeantur? In diversas sententias eunt Dd. Alciat. (a) Cuiac. (b): A quorum opinione recedunt Gail. (c) & Duar. (d) His calculum adjicimus (e).

(a) 4. *παρ.* 9 (b) ad l. 17. de injust. rupt. Qui ex causa exheredationis, non praeteritionis concedunt, moti Nov. 115. c. 3. in fin. ibi, inquit, nulla sit mentio praeteritionis; sed tantum exheredationis. (c) lib. 2. obs. 113. (d) ad tit. de inoffic. c. 2. (e) quia Alciati & Cuiac. sententia à Dd. reprobatur propter auth. ex causa. C. de liber. praeter. ubi expressè sit mentio praeteritionis, ut videre est in prin. d. c. 3. & c. 4. in fin. Nov. 115. Iam si exheredatus expugnat à institutione debet praestare legata, & fideicommissa; quidni praeteritus? quia hic non tam gravi injurià affectus est, quàm ille: Exheredatus enim falsis criminationibus, & expressis verbis à patre latus est; Praeteritus contra ne ulla verbali injurià est affectus. E. Ves. *παρ.* n. 11. hic. Althus. lib. 1. I. R. c. 21. per auth. ex causa. C. de liber. praeter. Vigl. in G. liberis n. 5. I. de pupill. substit.

XIII.

Ad inofficiosi querelam excludendam necessariò requiritur, ut liberis legitima relinquatur; quam non solum titulo institutionis (a) sed etiam quovis alio (b) relinquendam esse, non dubitamus.

(a) Iason. in auth. novissima. n. 13 C. de inoffic. testam. Schn. G. ult. n. 3 I. hoc tit. Duar. ad tit. de inoffic. testam. c. ult. fermè in fin. Vult. ibid. pag. 303. Ves. *παρ.* n. 4. de liber. & posth. her. instit. & alij; qui omnes Nov. hanc 115. c. 3. in prin. tanquam extremà anchorà nituntur; hacq; jus vetus ff. C. & Nov. abrogatum esse contendunt. Petr. Gregor. Tholos. lib. 44. syntag. c. 5. n. 25. 57. & lib. 44. syntag. c. 2. n. 8. & seqq. distinguens

B

inter



inter testamentum solenne, & minus solenne; hoc quocumq; titulo legitimam relinqui posse; illo non item, late differit. Alibus lib. 1. l. R. c. 21. ibi: si pro portione legitima quovis titulo quid relinqueretur, querela locus non est per textum ibid. sed hoc jure novissimo à Iustiniانو emendationem accepit, ut non sufficiat ad excludendam querelam hanc, quovis titulo quid esset relictum, sed necesse sit titulo institutionis relinqui. d. N. 116. (b) jure D. l. Papinianus. §. Si quis mortis. ff. de inoffic. testam. l. etiam. §. si debita. ff. de bon. liberr. l. qui filium ff. ubi pupill. educ. deb. jure C. l. omnimodo. C. de inoffic. testam. jure Instic. §. ult. l. de inoffic. testam. jure Novell. Nov. 18. c. 1. vers. sive quis aliud auth. novissimi. C. de inoffic. testam. quæ d. Nov. novissime firmatur exceptione in N. 115. c. 3. pr. Quia liberi heredes scripti. & certa parte contenti esse jussi & si in legitima cuius esse in quota est, instituti non sint, testamentum non evacuatur querela, sed ad supplementum agunt, d. N. 115. c. 3. Præterea d. N. 115. c. 3. 4. 5. injustam exheredationem & præteritionem tantum coercet: ibi: præterire aut exheredes facere. d. c. 4. ibi: exheredationis aut præteritionis. d. c. 5. ibi: testatorum injuria. E. legitimam præter institutionis titulum alio quodam accipiens, exheredatus non est, nec præteritus, quia habet legitimam per d. N. 13. c. 1. Et rectè Forcat. dial. 35. ita demum quocumq; titulo filijs legitimam relinqui posse, nisi exheredatio præcessit. Vaud. 1. var. quæst. 5. late.

XIV.

Non levis hic movetur quæstio: An fraternum testamentum, in quo spurius institutus est, hoc querelæ remedio possit rescindi? Si spurius non affectatur paterna flagitia, Neg. (a); quem ne quidem, ut vult Hartm. Pistor. (b), facti infamiâ notari concedimus (c)

(a) l. 1. ff. hoc tit. l. 21. l. 27. C. eod. Hack in suis ill. quæst. disp. 6. th. 14. Fachin. 4. contr. 93. late. (b) lib. 1. qu. 30. n. 4. & 8. (c) quia matris calamitas filijs nocere non debet. §. sufficit. l. de ingenuis; & non est impedienda dignitas eius, qui nil admisit. l. 6 ff. de decur. l. aliud fraus est. 131. de V. S. l. generaliter. §. spurios 41 ff. de decur. l. crimen. 26 ff. de pœn. Paleot. in tr. de nob. & spur. c. 55. n. 5. Niell. disp. feudat. 2. th. ult. lit. D. in not. Bronch. 4. évart. 96. Diss. Myns. cent. 4. obser.

obser. 31 & est in ordine Camerae part. 1. tit 3. §. Deegl. icher
sollen die Bynsiger Speckhan. cent. 1. q. 15. Sed hoc tantum
verum est de ijs qui jure notantur infamia; cum facti infamia jure
civilis pro infamia non habeatur l. eos. 12 ibi: nec enim infames.
ff. de decur. l. idus. 22 ff. de his, qui not. infam. E. sparij pro-
priè nec juris, nec facti infamia notantur; licet non negetur illis
in esse aliquid maculae, quod scitè auro alchimistico alibi Bald.
comparat. l. 6. de decur. Treutl. p. 2. disp. 16. th. 3. lit. B.

Πορίσματα.

I.

An lege Cornel. de Sicar. teneatur etiam is, qui
occisurus Titium, errore ductus Cajum interemit. A.

Per l. eum qui 18 §. fin. ff. de injur. & l. 5. §. 1. ff. de ser.
corrupt. 2. quia occisurus aliquem, licet in occidendo erret, dat
operam rei illicitae, & mali exempli; imò leges divinae & humanae
dicunt, non occides. l. 5. C. de injur. Et sufficit in crimine ho-
miciidij dolus in genere, licet non sit commissus in specie l. scientiam.
45. §. pen. ff. ad l. Aquil. Bronch. 4. ἐναυτ. 85. Fachin. 1. cont.
37. Gail. lib. 2. obs. 101. n. 8.

II.

An liceat verbis provocato, respondere conviti-
um falso dicenti: Tu mentiris? Distinctionis remedio
rem dirimimus.

Per l. quæ omnia. §. 1. ff. de procurat. l. 14. §. si libertus.
ff. de bon. libert. Hierem. c. 37. & 3. Reg. c. 3. l. devorum. C.
de metatis & Epidemiricis. quia dicens, tu mentiris, non habet
animum injuriandi, sed se purgandi, eò quod falso crimen obijcia-
tur: quippe injuriarum actione non teneri eum, qui animum in-
juriandi non habet. constat. l. si nam convitiij. C. de injur. l. illud.
ff. eod. tit. Vaud. lib. 2. quæst. 28. Gail. lib. 2. obs. 100.
Fachinæus. 9. contr. 12. VVesemb. waz. num. 8. de injur. &
famos. libel. Dissentire videtur Petr. Gregor. Tholoj. lib. 38.
syntag. jur. univers. c. 5. n. 5. & 6.

Quæstio-

Quæstionis est, an filiusfam. exceptioni S^Cti Macedoniani renunciare possit? Affirm. Zas. (a) Nos in negantium (b) castra secedimus.

(a) lib. 2. respons. 18 hac ratione motus; quia mulier privilegio S^Cto Vellejano renunciare potest, cum quilibet favori pro se introducto renunciare possit. l. pen. C. de pact. l. ult. & pen. ff. ad S^Ctum. Vellej. & l. jubemus. 20. C. eod. (b) Quia hoc S^Ctum in odium fœneratorum & pœnam creditorum introductum est, l. qui exceptionem circa fin. prin. ff. de condict. indebit. l. 9. §. ult. ff. de S^Cto Macedon. Et hoc S^Ctum non respicit privatam, sed publicam utilitatem, ne filijfam. mutuis pecuniis, nefandisq. aucupijs contumphantur l. 1. ff. ad S^Ctum Macedon. E. privatorum pactis renunciari non potest. l. si unus. §. pacta. & l. jurisgentium. §. si paciscar. ff. de pact. & l. 11. ubi Costal. Fachin. 2. contr. 61. Vult. lib. 4. tit. 7. §. que diximus. n. 14. I. Herm. Cnaustin. in libello art. Notariat. pag. 66.

AD ORNATISS. ET DOCTISSIMUM

Dn. RESPONDENTEM.

SI facti specimen dederis de more probatum
 Succedet celeri laus comitata pede.
IANE tuis famam quod aves extendere cœptis
 Res ea præclaro munere laudis eget.
Nunc Sophiæ excultus non infeliciter arte,
 Iugiter in Themidis jura diserta ruis.
 Publicaque ingenii Præclaro Præsidente prodis
 Dona, nec è doctis ultimus esse cupis.
Perge nec inviso succrescet fama trophæo,
 Quando tuo dignum munus honore ferēs.

M. Hippolytus Hubmeier, Lab.
 Palatinus P. L. Cæs.

F I N I S.

Nh 1236.

oo

f




ULB Halle 3
 002 819 279


an 31 nur verknüpf JA → OL
 f1-5 # 40 Stück
 f23

VD 17 ne





XVI



DISPUTATIO
DE
INOFFICIOSIS
TESTAMENTIS.

Quam
D. O. M. A.
Auctoritate & consensu Magnifici, &
Nobiliss. Jctorum in inelyta Salana
Ordinis.

SUB PRÆSIDIO
Consultissimi & Doctissimi Viri,
Dn. DOMINICI ARUMÆI,
J. U. D.

PUBLICÆ
Exercitiij gratia pro virili defendet,
JOANNES BOBBIUS
Cothönus Anhaltinus.

In Auditorio Jctorum 3. Martij.
J E N Æ
Ex Officina Tobie Steinmanni.
Anno M. DC. IV.

